



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

V. De subiecto legum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

CAPVT IV.

De Legum Materia.

28. *Q*uidnam Legi Materiam præstat? Cum Leges circa humanas actiones versentur; præcipiendo bonas, malas prohibendo, Actiones humanæ Legum materia sunt.

29. *Num interni actus possunt præcipi, aut prohiberi?* Possunt aliqua ratione; non ex se præcisè, quia merè interna soli Deo referuntur: sed quatenus pertinent ad actus externi complementum. v.g. Ecclesia præcipiens Canonici officij recitationem, simul etiam præcipit attentionem, quæ est actus internus; quia attentio est omnino ad orationem necessaria. Similiter aliquem actum externum prohibens, simul etiam prohibet internum illi respondentem. v.g. cum furtum prohibetur, etiam furandi voluntas refecatur.

CAPVT V.

De Subiecto Legum.

30. *Q*uidnam Legum Subiectum assignas? Legis Subiectum est homo subditus iuxta Legis tenorem. Colligo hinc Infideles, aut Cathecumenos Legibus Ecclesiasticis minimè adstringi, quia non sunt subditi Ecclesiæ. Pueros autem ratione vtentes illicari profus, ac consequenter ad confessionem annuam, ad Missæ die festo auditionem teneri.

31. *Num Regina coniux Principis, qui condidit Legem, eidem obseruanda adicantur?* Ex natura rei obligatur; nisi exempta sit, vt re ipsa eximi assolet, à vi scilicet coactiua.

32. *Tenetur Princeps suorum prædecessorum Leges obseruare?* Præciso scandalo non tenetur; quia à sibi superiore lata non sunt.

33. *An ad obseruationem Legis à se ipso lata teneatur superi?* Propriè loquendo ex vi coactiua non obligatur; quia lex obligat subditos, nullus autem sibi subditus est, nec potestatem ac iurisdictionem coactiuam exerit in se ipsum. v.g. si Papa Clericum percutiat haud excommunicationis vulnere afficitur. *Loquamur de vi non coactiua, sed directiua fundata*

fundata in iure natura: sic ne Princeps propriis Legibus illigatur? Ita planè; debet enim subditos suo exemplo mouere, modò Leges sint vniuersales, suoque statui conuenientes.

34. *Tenentur ne Clerici, alijque Ecclesiastici ciuilibus Legibus subiaceant? Ex vi coactiua minimè; quia laicus Princeps non habet in Clericos iurisdictionem: ex vi autem directiua tenentur legi ad bonum commune spectanti subiici, dummodo Ecclesiastica non repugnet libertati; quia Clericos decet aliis exemplum exhibere.*

35. *Num Cardinales Legibus generalibus etiam odiosis à iure communi latis illigentur? Ita planè, & consequenter censuris per verba generalia à iure communi impositis feriuntur. sunt etenim subditi iuri communi, seu Præsuli summo, modò queisdam in casibus aliter de Pontificis mente non constet.*

36. *Peregrinus qui ad aliquem locum peruenit absque intentione inibi constituendi domicilium, vel maiori anni portione manendi, ligatur ne Legibus particularibus, ac illius loci propriis? Minimè; quia per breuem moram non acquiritur in illum iurisdiction: nisi fortè ratione scandali vitandi, aut alijs circumstantiæ vi obligari videatur. Qui verò ad aliquem locum accedit animo inibi maiore anni parte manendi, legibus eo loci receptis illigatur, fitque parochianus illius loci quoad Sacramenta, excepta tonsura, & ordine: licet postea accidentaliter post paruum discedat interstitium.*

37. *Quid si non sit peregrinus sed viator, sed vagus qui nusquam certam habet sedem? Profectò locorum Legibus, & consuetudinibus ligatur; alioquin omnino exemptus ab omnibus Legibus, & statutis municipibus, aut etiam Episcoporum decretis vagans esset, quod minimè rectæ consentaneum gubernationi.*

38. *Qui in alieno territorio versatur, tenetur ne Leges proprii ibi non obligantes obseruare? Non tenetur; quia Princeps suam potestatem & iurisdictionem non extendit, subditusque in alieno territorio existens non est actu subditus legislatori. Id quod extendo non solum ad leges municipales, verùm etiam ad Leges iuris communis, quarum obseruatio proprio viget in territorio, non verò eo loci, vbi ad tempus versatur.*